



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

VII. De extrema Unctione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

## DE EXTREMA VNCTIONE.

## TITULUS VII.

**Q**uintum Sacramentum est Extrema Unctio, quod infirmo, de cuius morte timeatur, tantummodò exhibetur. Nam & hinc Sacramentum exuentium appellatur, *Conc. Flor. d. loco in § quintum, juncto Trid. sess. 14, cap. 3, in doctr. de Sacram. extr. Vnct.*

§. 1. De materia huius Sacramenti, Ministro, forma.

Materia huius Sacramenti est oleum olivæ per Episcopum benedictum, *Conc. Florent. & Trid. d. loco cap. 1*, Minister verò, Presbyter, siue is Episcopus sit, siue alius Sacerdos ab eo ritè ordinatus, *Concil. Trid. d. loco cap. 3, eam illud dist. 95*, qui infirmi oculos, aures, nares, os, manus, pedes & renes, hoc sacro oleo inungit, adhibitâ hac verborum formulâ: *Per istam sanctam unctionem & suam piis-*

*simam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum, &c. & similiter in aliis membris, Conc. Flor. eod. §. quintum. a*

§. 2. Religiosè hoc Sacramentum conferant.

Interdictum verò Religiosus est, ne hoc Sacramentum Clericis aut laicis conferant, absque speciali licentia Presbyteri parochialis, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrendæ, cuius & absolutio S. Pontifici reservata est, *cap. 1, in princ. juncto §. fin. De privil. in Clement.*

NOTATIO IN TIC. 7.

a Honestatis tamen ratio postulare videtur in femine, ut reses non ungantur. *Bellarmin. de extr. Vnct. cap. 10*

## DE ORDINIS SACRAMENTO.

## TITULUS VIII.

De Sacramenti Ordinis Materia, Forma, Ministro, Effectis.

**S**extum Sacramentum est Ordo; cuius materia est illud, per cuius traditionem confertur Ordo; sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane, porrectionem: Diaconatus verò per libri Evangeliorum dationem: Subdiaconatus per calicis vacuè cum patena vacua superposita traditionem. Et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma Sacerdotii talis est: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Et sic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano latius continetur, *Conc. Flor. in instruat. Arm. de hoc Sacram. in §. sextum, adde qua dicitur in de Ordinib. & gradib. §. 1.* Minister est Episcopus, & interdum Abbas quoad minores Ordines, *vide sup. tit. Qui Ordines Ecclesiast. §. fin.* Effectus est augmentum gratiæ, ut quis efficiatur idoneus ad obsequendum ministerium Ecclesiasticum, *Conc. Flor. d. loco, De numero Ordinum alibi retulimus, sup. tit. de Ordinib. & gradib. Clericor.*

## DE SPONSALIBVS ET MATRIMONIIS.

## TITULUS IX.

§. 1. Matrimonii materia & forma.

**S**eptimum & postremum Sacramentum est Matrimonium, quo vir & mulier individuæ vitæ consuetudine conjunguntur, *de quo latius inf. eod. §. Est autem matrimonium 20, cum seq.* Cuius materia est consensus contrahentium: *Forma, ipsa verba vel alia signa consensuum exprè-*

*mentia, per text. in cap. Tuas 26, Ext. De sponsalib. ac notat ibid. Panorm. Navar. in Manuali c. 22, num. 20, a* Sed quia sponsalia ut plurimum præcedere solent matrimonium, idcirco prius de sponsalibus dispiciamus.

§. 2. Sponsa